CAR. DRELINCURTII,

Christianissimi Regis Consiliarii & Medici,

Nec-non in Illustri Lugduno-Batavorum Academiâ Professoris Practici & Anatomici, atque P. t. Decani,

APOLOGIA MEDICA,

Quâ vetus illa depellitur calumnia,

MEDICOS SEXCENTIS ANNIS ROMA EXULASSE.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud CORNELIUM DRIEHUSIUM,
Anno cIↄ Iↄ c LXXI.

Εὐλαβοῦ τὰς διαβολὰς, κἂν ψευδεῖς ὦσιν, οἱ γὰρ πολλοὶ τὴν μὲν ἀλήθειαν ἀγνοοῦσι, πρὸς δὲ τὴν δόξαν ἀποβλέπουσι.

Cave Tibi à calumniis, etſi falſæ ſunt, plerique enim veritatem ignorant, opinionem autem reſpiciunt.

Illustribus, Nobilissimis, Amplissimísque

V I R I S,

Academiæ Lugduno-Batavæ

CURATORIBUS,

D. FREDERICO VAN DORP, Mosædami Domino, &c. Equestris in Hollandiâ Ordinis Assessori, Rhenolandiæ Præposito, & Aggerum Præfecto, ad Serenissimos Poloniæ & Sueciæ Reges Exlegato;

D. JOHANNI VAN THILT, J.C. Civitatis Harlemensis Consuli, Supremæ Aggerum Rhenolandię Pręfecturæ Assessori;

D. CORNELIO DE WITH, Ruardo, & Supremo Aggerum Territorii Puttensis Præfecto, Balivo Beyerlandiæ, Civitatis Dordrechtanæ Viro Consulari, ínque Præpotentum Hollandiæ & West-Frisiæ Ordinum Consessu Assessori Ordinario;

EORUMQUE COLLEGIS

Amplissimis, Honoratissimisque
VIRIS,

Reip. Leydensis *Coss.*

D. JOHANNI MEERMAN, J. C. Ad Serenissimum Britanniæ Regem Exlegato;

D. PAULO SWANENBURG, J. C.

D. JACOBO MAES,

D. DANIELI VAN ALPHEN, DAN. F.

NEC-NON

Clarissimo, Consultissimóque
VIRO,

D. PETRO BURGERSDICIO, J. C. Reip. Leydensis Syndico, & Nobiliss. DD. Curatoribus à Secretis,

CA-

CAROLUS DRELINCURTIUS,

S. P. D.

OBstrictus NOBILISSIMIS & AMPLISSIMIS NOMINIBVS VESTRIS vario beneficiorum genere, quidpiam quo gratum meum erga vos animum testarer, libandi voluntatem jam olim suscepi. At replicanti mihi, quodnam donarium ad vestrum Tholum appenderem, veritus sum,

atque etiam nunc id ipſum vereor, ne levidenſæ munus, (*quo potius, me penes, nullum eſt,*) Talibus tantiq; faciendis, cùm ILLVSTRIBVS tum HONORATISSIMIS NOMINIBVS VESTRIS indignum foret. Conſultius itaque duxi muneris exortem memet continere.

Sed Profeſſorio Munere novo mihi delato, Veſtra mihi beneficia conduplicaſtis, quę me conſcium uſque premunt, ut ingrati animi vitium effugere non

potis ſim, ſi manibus vacuis, ad Vos, VIRI undique MVNIFICI ſimul & MAGNIFICI, accedere pergam.

Dum ſic mecum luctor, en mihi occaſio inſperata quidem, ſed commoda & idonea ſeſe dat ultrò, quã, ne calva ſit, arripio, VESTRÍSQVE NOMINIBVS MAGNIS atque PRÆCLARIS, hoc quicquid eſt opellæ, eâ nuncupo fiduciâ, æquitatis Vos patrocinium ſuſcepturos; ac proin, me,

universúmque mecum Apollinarem Chorum, cujus jura tueor, firmissimo præsidio defensuros.

Illud profectò si præstiteritis, uti Vos id præstituros planè confido, veritas illa de Medicis Italiâ nunquam profugis, quam Cimmeriis è tenebris in lucem protraxi, nemini deinceps latebit; sed suo fulgore cæcatas priùs erroribus menteis dum collustrabit, Medicorum sycophantas pudore suffundet.

Tan-

Tantum porrò de Medicis Italiâ pulsis ludibriũ, etsi falsissimum non foret, nullâ tamen ignominià Medicos singulatim deformaret, cùm Romanorum Fasti, alîus omnis hominum sortis sæpe injusta & erubescenda exilia crepent. Medicos tamen decet, istud propellere convitium. Utinam ego, qui totus in publica commoda incubui, VOBIS, VIRI GRAVES & ÆQVISSIMI, qui in nos JVDICES sedetis, illius

videar haud inſtrenuus propulſator.

Verbo finiam, poſtquam Vobis, VIRI haud minùs BONI quàm POTENTES, vovenda vovero; *ævum* longum & ſalubre, inque dies ſingulos honoribus atque divitiis auctius; *Familiarum* incolumitatem, perennitatem, beatitudinem; ACADEMIÆ (*cujus eſtis uſque vigiles atque prudentes* RECTORES, *ut illius* FORMÆ *vel* ASSISTENTES *vel* INFORMANTES, *æquiùs quàm* MO-

DE-

DERATORES & GUBERNATORES *audiatis*) decus in omnem hominum ætatem grandius atque grandius; *Reip*. fundamentum PIETATE perpetuò ſtabile; *Iuſtitiæ* potentiam & ſanctitatem auctiores; *Civium* irruptam copulam, mutuis officiis conglutinatam; *commercii* ſucceſſus felices & fauſtos; *Rerum* denique *omnium* exitus ſecundos atque fortunatos, ſed quos DEUS ipſe ſecundet atque fortunet.

Vovebam Lugduni ad Rhenum ANNO MDCLXXI.

[illegible]
tam & nudus [illegible] decus in
omnem hominem, cum
grandius atque grandius
[illegible] indigentiaque [illegible]
a [illegible] perpetuo subsidio, [illegible]
sime potentem & sancti-
tatem [illegible]
[illegible] copulant, [illegible]
effectis conglutinant, a
[illegible] intellectus [illegible]
& [illegible]
[illegible] sensus [illegible]
que [illegible], sed
Deus ipse fecundus [illegible]
semper

ΤΟΙΣ ΦΙΛΙΑΤΡΟΙΣ

ὁ βιβλιοπώλης χαίρειν.



QUandoquidem meum ad publica commoda ingenium verto, & frequentium amicorum relatu, Clariss. Professoris Drelincurtii, *quam animitus Tibi offero* orationem acceptam fuisse, mihi perspectum est, illam evulgare avidiùs expetivi.

Id autem, eò ardentiùs ambivi, quòd plurium fide testatum mihi sit, veterrimam revera illam esse, quam ille à Medicis amolitur calumniam; sed nihilosecius acrem atque vigentem; utpote quam alii adorti sunt quidem, at nusquam protriverunt & conculcarunt, uti hic Noster illam obtrivit atque contudit.

Ne autem, improvidum Te, quò venalitias merces meas commendem, ludi-

ludificatum conqueraris, en Tibi lubens, Martios campos, ubi alii cum tantæ in Medicos jactatæ calumniæ Propugnatoribus conflixerunt; ſum detecturus. Illis enim luſtratis, vel tuos in oculos iſtud involabit, quàm ignavè & quàm levi brachio ſuos illi hoſtes perſtrinxerint.

Ne autem fuſior ſim, abundè erit, erectum in illos digitum intendiſſe, locis enim exploratis, non *mihi* ſed *veritati* credes.

En imprimis Hiſpani Bætici vecordiam atque ſupinitatem notabis. Is quidem hujus calumniæ comprimendæ cauſâ, hanc ipſam diſceptationem, operum ſuorum capiti præfixit; at Medicorum res, dum calumniis extrahere ſatagit, in illos certè non niſi probra jactat. Conſultius ſuiſſet, tantas Medicorum Parteis nequaquam tueri, quàm illas, vel ſocorditer prodere, probris increpando; vel forti & invictâ defenſione non tutari.

Cau-

Cautior quidem est *Langius*, sibíque cavet, ne labem unam Medicorum corpori malignè aspersam, dum eluit, aliam in ipsos inferat : sed perperam admittit, Medicorum exilium, (*quod authori meo, non nisi opinabile atque fictitium est,*) à Catonis ævo, ad Claudii Cæsaris tempora manasse : uti itidem prior ille, quem Hispanum notavi, falsò concedit, *fuisse Medicos Româ* quidem *exactos*, sed *priorum Cæsarum ætate, Romam revocatos*. Quantum enim uterque aberrent à *Ferâ*, vel ex hocce meo, in Medicorum conviciatores *sagittario*, luculenter patebit.

Demum, illius injuriæ in Medicos immissæ, assertorem atque vindicem *Vallesius* se præbuit. Verùm, tanti Viri concisam nimis brevitatem dolemus, inibi quippe *Velitis* duntaxat ritu in hostes excurrit, nec *justi more belli* in illos grassatur.

Multorum porrò, quos libri deficiunt, commodis ut serviam, potiora

& nul-

& nullo certè adulterata fuco rerum momenta, quæ calumniæ toties in Medicos jactatæ, non confutationem, *quam Tibi Seorsim exhibeo*, sed immanitatem atq; vetustatem ipsam, omnibus patefaciant, in conspectu ponam: Atque adeò illorum detegetur malignitas, qui tam perversæ sunt indolis & à bonis moribus usque degeneres, ut sinistrè hanc auctoris mei Apologiam excipiant, quasi, vel larvas & umbras atque phantasmata sibi finxisset debellanda; vel ad illos lacerandos dextram intendisset, qui *οὐδ᾽ ὕπαρ, οὐδ᾽ ὄναρ, nec vigilantes, nec somniantes*, illud de Medicis convicium, non tantùm, non excogitarunt, sed etiam illius vel fautores, vel patronos, vel propagatores se nequaquam esse, apertè & palàm monuerunt, atque in compitis quasi declamitarunt.

En igitur prima fronte, Elysii jucundarum quæstionum campi novissimus

ſimus Scriptor *Gaſparus à Reies Franco*, Urbis Carmonæ Archiater, qui circa hoc thema paginas in folio implevit undecim, è quibus hæc paucula fideliter libavi.

ANTIQVISSIMVM & INFINITORVM MENTIBVS STABILITVM MENDACIVM *ad veritatis trutinam examinemus, agamûsque cum innumerabili ſtultorum copiâ, qui Artis dedecus jurantes, iniquo odio illius obſcuratores ſeſe utique præbent, nec lacerandi conviciandíque finem faciunt, niſi priùs illud ſuâ opinione ignominioſiſſimum ac deſpicatiſſimnm addant*, MEDICINAM *ſcilicet à* ROMANIS EXPLOSAM, SEXCENTIS ANNIS EXVLASSE, *& ab Imperii finibus longè ſubmotam* EXTORREM *fuiſſe pag. 2. §. 3.*

Rurſus pag. 5. §. 10.

- - *tranſactísque poſt paucis annorum decadibus, prima Medicorum orta eſt clades. Hæc prima illorum repulſio, &* EX-

TRA

TRA IMPERII FINES ABIECTIO; *quæ ſanè à condita urbe, anno* 580. *paulóve minùs, cœpit*, Catonis *ſuadente gravitate*

Rurſum pag. 6. §. 13.

Ulteriùs, Catonis *gravitas & ſeveritas major, rem impulit, &c. undè contigit, ut* NVLLO RELICTO, MEDICI PROSCRIPTI SINT, *atque* EXTRA CIVITATEM ABIRE JVSSI.

Sic pag. 7. §. 13.

SENATVSCONSVLTO *ſuſpectam jam ob prædictas rationes* MEDICINAM, MEDICÓSQVE OMNES, VT EXOSOS, URBEM RELINQVERE *decretum eſt.*

Eâdem porrò pag. 7. §. 15. exilium illud & concedit & in centeſimum uſque annum, his verbis, peſſimus ille Medicorum defenſor protollit, *ſed quanta fuerit exilii illius duratio, modò dicam: quippe à ſexcenteſimo Urbis anno, circa quem*, S. C. *de eâ amovendâ*

vendâ data sunt, usque ad primos Cæsares proscriptio prorogata est: quod tempus suit, 100. paulò minus annorum, quod idem rursus atque perperam inculcat ad calcem §. 16. pag. 8.

Pariter & *Langius* * exilium illud oscitanter intromittit, & in Claudium usque Cæsarem prorogat, uti liquet ex hoc ipsius contextu, *Cato severus ille morum Censor, Græcorum* MEDICIS URBE INTERDIXIT *&c. Tandem verò, quum* CLAVDII CÆSARIS *principatu, Lichena & Mentagra, purulentis per Italiam grassarentur*

* *Joannes* est *Langius*, Leobergæ celebri Silesiæ oppido natus, & quinque Palatinorum Electorum anno salutis M. D. LXVI, ætatis suæ XXC, Heidelbergæ Archiater denatus, *Epist. 2. l. 2. pag.* 482. *Edit. Hanoviana M D C V.*

ulce-

*ulceribus tum ex Ægypto * accersiti Medici.*

* Quæ de Medicis ex Ægypto accersitis hic profert Lembergius, è *Plinii l. xxvj. c* 1, sed supinè atque dormitando desumpsit. Etsi enim verum foret, ætate Claudianâ Cæsareâ Medicos ex Ægypto fuisse vocatos, exinde tamen nequaquam eliciendum esset, Romam antea Medicis caruisse. Annon quæsumus, vel hoc seculo, dum aliquâ in Metropoli, malo quopiam insolenti & rebellante conflictantur Magnates, Medici & Exteri arcessuntur, citra tamen consequentiam de Metropoli illâ Medicis vel indigenis vel inquilinis vacuâ. Haud ergo concludere fas est, Quirites Medicis ideo caruisse, quia ex Ægypto Medicos summatibus Medicinæ faciendæ gratiâ Romam acciverunt. In illud tamen pravum atque detortum ratiocinium incidit *Langius*, idque dubio procul propter præoccupatam illam, quam de Medicorum *exilio* mentem gerebat. Hâc nempe anticipata opinione dũ animus ejus tenebatur, & hunc Plinii locum offendit, præ lætitia exultans exclamavit εὕρηκα, εὕρηκα, arma quasi invenisset victricia, quibus Medicorum hostes ad confitendum adigere potis foret, *exilium*

lium illud, quod *in annos sexcentos* vulgò protollunt, *tot in secula* haud fuisse prolarum.

Est & altera Langii allucinatio non minùs culpanda. Nisi enim, *Plinii caput illud* 1. *l.* 26. perfunctoriè consuluisset, & à limine duntaxat, ut ajunt, salutasset, animum ejus, tantus error non occupavisset. In quemlibet enim, Plinianam illam sextam vigesimam porticũ seriò vel lustrantem vel intrantem, longè alia mens *à Langianâ* incidet. Plinius quippe nequaquam profitetur Medicos ex Ægypto Romam accitos fuisse; sed consultis verbis, lucro illos allectos (*utpote Magnatibus insolita lue infectis subsidio venturos*) suo Marte & sponte sua ex Ægypto Romam ADVENISSE refert.

Insolens autem illa lues, Tiberii Claudii Cæsaris principatu medio in Italiam primùm irrepsit, nec totâ tamen Italiâ, sed totâ Româ vagata est, sine dolore quidem illa, ac sine pernicie vitæ, sed tantâ fœditate, ut QVÆCVNQVE MORS PRÆFERENDA ESSET. A mento etenim ferè oriebatur, (*undè joculari lasciviâ* MENTAGRAM *appellavêre*) atque in multis totos utique vultus, oculis tantùm immunibus, occupabat, descendebátque & in colla, pectúsque

ctúsque ac manus, *fœdo cutis furfure*, veterum lepræ haud absimili.

Cæterùm, non sensêre id malum fœminæ, aut servitia, plebésque humilis aut media, sed PROCERES veloci transitu osculi maximé.

Insuper his, notare est, faciei fœditati tantæ, curam fuisse nullam causticis usque in ossa exurentibus potiorem; quæ certè vultûs ustio, uti deformitatis unius expultrix, sic & alterius *gravioris* effectrix erat, *fœdiore multorum cicatrice quàm morbo*. Viri iccirco PROCERES vocibus instabant, inque Romanos Medicos assiduas ore querelas jaciebant, quarum profectò rumor amarus, universum orbem citò pervasit, ac proin & Ægyptios afflavit. Quocirca, versipelle istud Medicorum genus, inhians lucro, Romam adivit eâ fiduciâ, se ab Optimatibus illis lue correptis, Romanis Medicis præpositos iri; nec fefellit ipsos rerum exitus. Quoniam enim, talium vitiorum genitrix Ægyptus audiebat; Ægyptii idcirco Medici, hâc & in lue curandâ, Romanis peritiores habebantur. Confidentiùs itaque Romani Summates sese curandos tradebant Ægyptiis, illorúmque curas largitione redimebant. *Siquidem certum est, Manilium Cornutum ex Prætoris Legatum*

gatum Aquitanicæ Provinciæ, H-SCC elocaſſe in eo morbo curandum ſeſe.

Quæ certè pecunia ingens, ex meritiſſimi & exactiſſimi Viri FRIDERICI GRONOVII noſtri calculo, in eruditiſſimo ſuo nõ vulgaribus ſed interioribus & recoditis Literis plurimis pleno de ſeſtertiis libro, *ſeſtertiûm nummûm ducenta millia*, ſive noſtrorum *Philippûm* vel *Ducatonum* QVINQVE MILLIA complet. Hanc ὁ φιλίατρε, aberrationem, (*quam ſpondeo unicam fore*) condones velim. Fortè tamen aberratio non eſt, nam *extra oleas minimè vagor*, dum evinco tantam pecuniæ vim, Medicis Ægyptiis in unius CORNVTI curationem erogatam, maximum ipſis fuiſſe profectionis illicium. Magnam enim prædam illos ſubolfeciſſe retulimus ſupra, confecimúſque lucri illos odore pellectos, ſuo nutu, ſuóque impulſu Romam tetendiſſe, Romanos Medicos ut prædarentur, dum PRÆPOTENTVM luem, ſuam ad prædam lucrúmque, providè revocarent.

Ad hæc demum ſufficiet & *Valleſium* adduxiſſe, Philippi Secundi Hiſpaniarum Regis Archiatrum, qui noviſſimo ſeculo acerbiſſimæ illius

calu-

calumniæ propagatores, pauculis hisce aggressus est, lib. de Sacra Philosophia *Edit. Lugdun.* 1595. *pag.* 591.

Illos enim sexcentos annos, quibus Roma caruit arte hâc, SENATVSCONSVLTO DAMNATA * *mendacium esse me-*

Hîc notes velim, Vallesii, Viri aliàs vigilantis & acuti, nec sæpiculè dormitantis, oscitantiam, quâ MEDICINAM, SENATVSCONSVLTO DAMNATAM recipit. Planum quippe est, ex ipsiusmet Vallesii computatione SEXCENTIS ANNIS antequam Medici Romam incolerent, Urbem nequaquam *conditam*, nedum *Senatu honoratam* fuisse.

Hîc insuper, stuporem *conviciatorum*, vel dicam *pecudum*, attendito. Fabulantur enim, *à Senatu Romano, in 600 annorum exilium, actos fuisse Medicos.* Non animadvertunt interea (*præ alto, qui illorum menteis urget & obruit, stupore,*) quod quemvis egregiè cordatum nequaquam fugit; *primò* scilicet, ineptum atque absurdum esse, exilium illud Medicis, à Senatu, in ætatem usque longævam imperatum fuisse.

Non contuentur *secundò*, penes Senatum nunquam fuisse, vel condere *Leges*,

vel

rum ipſâ annorum computatione conſtat. Nam venit Romam, teſte eodem Plinio, Archagathus, anno ab V. c. 535. qui honorificentiſsimè receptus eſt, & poſt illum ſemper plurimi ſubſecuti. Si igitur plusquam 600. *ante annis, damnaverat Ar-*

vel *exilium* irrogare, quæ poſt talium, & *Legum* & *exilii* denatos auctores, perennarent. Romanorum enim Reſp. toties interpolis, id nequaquam tulit: nam ubi primùm, qui Reip. clavum tenebant, denaſcebantur; cæteri, qui defunctorum in locum ſufficiebantur, Anteceſſorum placita atque decreta immutabant; *leges* abrogabant, atque etiam in *exilium* datos, de *exilio* reducebant. Uti profectò, vel in Imperii Romani ætatem uſque extremam, illorum *progenies* vitioſior atque vitioſior ſemper data, quæ à *ſtirpe* habuerunt ſanctiones & ſtatuta, illa certè violarunt atque funditus everterunt.

Licèt igitur, *ſtulto* quopiam atque *Veſano ſenatus decreto ſugiſſent in exilium Medici*; *illo ſanè*, vel Regum auctoritate; vel Coſſ. decretis; vel Populi ſuffragiis; vel Imperatorum juſſu, *exilio ſuo*, pauco poſt tempore, *liberati fuiſſent.*

tem, Roma plusquam 70. *annis ante-quam conderetur, illam damnavit. Futilia itaque dicteria sunt hæc omnia.*

Illius porrò lolii, quo tot in Medicos protervi atque procaces & victitant & inebriantur, seminator & sator, atque ut ita dicam, educator & altor, acris est ille Literarum Literatissimus hostis, H. C. Agrippa lib. de vanit. scientiar. cap. 83. de Medicinâ Operatrice, pag. 196. Edit. Lugdunensis, qui primus * quem sciam, quinto decimo ineunte seculo, integra Literarum seminaria, *Tubingense* præsertim & *Argentinense*, hâc infelici semente consevit, *Romani quondam*

* *Plinium* enim, quem vulgò Medicorum Sycophantæ suas ad partes pertrahere conniuntur, hîc sileo. Illum quippe meus auctor, Orationis suæ parte II. atque IV. non tantùm ad exilii inficias blandè perduxit, sed etiam Medicorum causâ acriter depugnantem in arenâ collocavit.

sub

ſub Catone Cenſorio, MEDICOS OMNES, & VRBE TOTA, & TOTA ITALIA PEPVLERVNT. Illinc profectò juxta ſeminii iſtius indolem, fruges quidem ſurrexerunt, ſed nullatenus lætæ & amœnæ, opimæ licèt atque feraces, quibus maledicum ita ſeſe exſatiavit hominum genus, ut eaſdem ſed corruptas atque adeò nocentiores, ſtatim ſub initia ſeculi, ore quidem oratorio, ſed maledicentiſſimo horrendum hunc & infandum in modum in Auditorio *Tubigenſi* publicitùs eructaverit, * *Roma ſexcentos ſtetit & floruit annos, antequam Medicos tecto & hoſpitio excepit; quam primùm verò periculo ſuo didicit, cicures ſe tantùm latrones & manſuetos homicidas ex-*

* Uti palàm & ante oculos omnium erit, qui *Thomæ Lanſii* Mantiſſam conſultationum & Orationum, *Conſultatione de prærogativæ certamine quod eſt inter milites & Literatos*, pag. 58. Editionis Tubinganæ, anno 1656. conſulent.

cepisse, eos ITERUM EXPULIT *. Hîc notes velim, Oratoris illius dicacis, acerbi & amarulenti atque virosi postrema verba, justissimæ querimoniæ, quam ab ipso suæ Orationis exordio, de hac indies virulentiori calumniâ meus auctor habet, fidem facere luculentam En quippe eadem, quam ille propulsat calumnia, sed longè profectò pestilentior, quàm ab ullo pestifero ad Medicos aspiraverit unquam. Exempli etenim gratiâ, mitiùs longè novâ in Argentinensium Acroasi cum Medicis egit, Orator ille alter, qui virus idem, sed mitificatum, in Medicos his verbis evo-

* Scorpius venenum in caudâ gerit & obliquè ferit : ita hic Orator in fine virus effundit suum & dissimulanter lædit. Sed amabo, quî contigit ut Medicos ITERUM EXPULERIT ROMA, quos antea nunquam expulerat; quósve (*uti falsò profiteris, ô viperine conviciator Pattacione calumniosior*) nec tecto, nec hospitio exceperat.

muit,

muit, * *res hæc impulit Romanos, ut propter Archagathi cujuſdam in ſecando crudelitatem, omnes odio Vaticano* * *Medicos proſequerentur; eoſdem urbe exterminandos eſſe* CENSERENT.

Tantum autem virus, unius ſuperioris Germaniæ limitibus nequaquam coërcitum eſt, ipſo etenim Agrippæ ſeculo, Gallias totas id veneni infecerat. Michaël quippe Montanus, haud ignobilis alter Artis Phœbeæ ex traduce oſor atque deriſor, ſub expirantis Agrippæ tempora in Galliis natus eſt, ubi Literatorum non duntaxat, ſed & vulgi venefi-

* Uti legere eſt apud *Melchiorem Junium* tomo primo orationum anno recuperatæ per Chriſtum Salutis M D C. Argentinæ habitarum, *Orat. 3. de comparatione Medici, Philoſophi & Oratoris.* pag. 1331.

* Dicti hujus auctor, VATICANO, quàm ipſi VATINIANO, fuit dubio procul infenſior, utpote qui proverbialem illam *de odio* VATINIANO loquendi formulam, ad VATICANUM traduxerit.

cum, hac in Medicorum re his vernaculis verbis * perditè se gessit, *Les Romains avoient ete six cens ans avant que de recevoir* LA MEDECINE; *mais aprés l'avoir essayée,* ILS LA CHASSERENT DE LEVR VILLE, PAR L'ENTREMISE DE CATON LE CENSEVR.

Ita profectò Montanus linguâ suâ in Medicos passim petulcâ atque protervâ, sed hîc veneficâ, virus illud de Medicis, ab integro propemodum seculo, *scripsit enim anno* 1580. in populum longè latéque diffudit.

Quia enim illius viri scripta, & Gallica primùm sunt, & ludicris subinde atque scurrilibus plurimis, sannáque multiplici; salibus atque facetiis; dicteriis & sarcasmis; leporibus item atqne Gratiis undique scatent, Gallorum manibus utique versantur.

* Uti cognitum & compertum habiturus est, quivis lector *capitis ultimi*, *libri secundi* Operum ejus Parisiis in fol. recusorum anno 1652, pag. 566.

Qui

Qui igitur plurimi Galli, per hunc insolentem sed imbellem, juratum licèt Medicorum hostem, tanquam per juratissimum auctorem jurejurant, Medicos & illi proscindunt, atque hanc ipsis de exilio nominatim sed illiberaliter prorsus infamiæ notam dente Theonino figunt. Prout etenim maligna fert hominum indoles, ad calumniam & excipiendam & dissipandam prona atque prompta, id de Medicis opprobrii, quod ab origine Agrippinum est, à Montano, tanquam à turbido fonte, aut putidâ lacunâ, hauserunt, illúdque per Gallias latiùs atque latiùs dissiparunt, ac proin auctori meo, jure meritóque, in ipso suæ orationis initio, vivax audit illa calumnia, utpote quæ totis Galliis volitet per ora virûm.

Nec modò grave illud virosúmque & pestilens de Medicis scomma, è Montanico fœtente lacu, tanquam è palude stygiâ derivatum, per Gal-

lias latè defluxit; sed & è Galliis, Hispaniis item atque Germania superiore, *de quibus dixi supra*, nostrum in Belgium hocce Medicis putido verborum fluxu corrivatum est,

De Romeynen zijn ses hondert jaer ghewеest eer sy de Genees-konste aen namen: Maer deselve beproeft hebbende/joegen sy die uyt haer Stadt door toedoen van Cato de Keurmeester van de Manieren.

Huic certè fluento reprimendo atque coërcendo Joannes noster totus insudavit Beverovicius ὁ μακαρίτης, in opusculis * illis quæ Belgico idiomate manibus omnium teruntur. Inibi quippe nervos suos revera intendit, Montani ut grande supercilium retundat, & effrænatam mordacitatem infrænet: Verùm majori conatu quàm successu, id molitus est. En quippe illum circa hoc chimæri-

* De Wercken van Beverwijck in 4. pag. 184. op de eerste Col. t'Amsterd. 1656.

cum

cum Medicorum exilium ſilentem, κὶ ὐδὲ γρῦ ἀποκρίνοντα & ne gry quidem reſpondentem. Quam igitur tanto opprobrio debes ἀπόκρισιν ſeu apologiam, ſi nec tuo ex fundo, neque ex præcedentium Scriptorum penu, eam extrahere potis es, illam, quæſumus Te, ab Auctore hocce meo, *à cujus lectione, ulteriori verborum ſerie abſit ut* Te *inhibeam*, expromere ne dedignator.

Vale mî φιλίατρε, & hiſce adverſus viperinos linguarum ictus animum tuum innutrito,

TOXICA NE POSSINT SÆVA NOCERE TIBI.

FINIS.



ORATIO.

M. Rector, fidele Mysteriorum Dei, insimul custos atque detector;

Almæ Civitatis, prudentissimi Proceres, potentissimíque Summates,

Prætor, Coss. præses, Coss. Scabinorum præsul,

Scabini, quique ipsis estis & à Consiliis & à Secretis;

Collegæ honorandi, omnibus in disciplinis solertissimi, solidissimíque, nec-non Literaturæ cultioris Antistites atque Protomystæ;

Vósque quotquot adestis, ornatissimo huicce meo Apollinari laureâ ritè condecorando Medicinæ Candidato, vel sanguine, vel affinita-

nitate, vel amicitiâ conjuncti;

Túque imprimis illius honorande Cognate, Ecclesiastico & Academico munere sacro, Vir Reverende;

Venerandi Symmystæ, fidelésque Mystagogi;

Lectores, Doctores & Magistri Liberalium Disciplinarum acutissimi, eruditissimíque;

Tu LECTISSIMA, *mysteriis Divinis dicata,*
Tu Themidos oraculis addicta,
Túque Apollini consecrata,
IUVENTUS;

Tu porrò, illustrissima reliquorum adstantium corona,
Grande meum decus hodiernum.

PARS

PARS PRIMA.

QUot præſenteis intueor, quos ſalutavi Viros omnium ordinum longè Clariſſ. linguis mihi faventeis & unico ab ore meo pendenteis; tot certè, Medicum audiendi causâ, hoc in illuſtre confluxiſtis Athenæum. At nomine vicibúſque meis commutatis, *non Medici* ſed *Medicorum patroni*, parteis ſum acturus; Gallis enim Medicis, coram Senatu, pro ſeipſis dicere cauſam licitum eſt. Quidni itidem, alieno licèt degam in cœlo, mihi fas erit candido hocce ſolennique die, apud Vos, cùm Patriæ Senatúſque Patres, tum imprimis

primis æquiſſimos rerum æſtimatores; cauſam, non meam quidem privatam, ſed quæ omnium Medicorum intereſt, contra illos agere, qui non minùs falsò quàm injuriosè, ſexcentis annis, Medicos Româ pulſos fuiſſe, jam olim, publicis ſcriptis conſignarunt.

Illam profectò calumniam, oblivione voluntariâ contereremus, ſi *fumus* duntaxat eſſet noſtrum in nomen putidè ſparſus; ſpontè ſiquidem evaneſceret: At quia veriſſima eſt Διαβολὴ, quę Medicos omneis maledictis figit, illíſque, ceu framea quadam acutiore atque venenatâ, trajicit pectora; illius mehercle profundo venenoſóque vulneri, medelam,

Iam veritate faciemus. Nobis quippe nihil magis insitum est à Naturâ, quàm ut Sauciati Medicinam expetamus. Nullum igitur mirari subeat, si in præsens, virulentum illud, quod Medicorum corpori, jampridem & à vetustissimis temporibus inflixerunt feræ, percurare vulnus aggrediar; aliàs quippe neglectum, aut malè curatum, (*uti ausim dixisse, malè hactenus curatum fuisse; illius de cura sategerint licèt, Viri authoritate graves & Archiatri summi,*) sua nos majori indies, exederet feritate. Vires etenim acquirit eundo, nec reliquorũ more vulnerũ, quæ calumnia intulit, temporis decursu, aut cicatrice obduci,

duci, aut mitescere saltem; pote fuit: sed ediverso unà cum seculis ætatibúsque hominum inveteravit, atque * ita exasperatum est, ut in ulcus ferinum cancrosúmque degeneraverit.

Calumnia quidem in se, levis est sermo & qui leviter volat, sed qui graviter vulnerat; qui leviter transit, sed qui graviter urit; Qui leviter animum penetrat, sed qui ex animo non leviter exit. Qui demum, leviter profertur, sed non leviter revoca-

* Quàm justè has de seculorum in Medicos iniquitate querimonias habeam, ex adductis è Lansio, in præfat. ad φιλίατρον, ad calcem pag. 27. vel abundè liquet.

tur. Imò qui provis auribus uti accipitur, ita & *in vivis longè latéque pascitur*; NIHIL quippe tam volucre est, quàm Maledictum; nihil faciliùs emittitur; nihil citiùs excipitur; NIHIL latiùs dissipatur; ac proin, *Mortale* genus omne, *vivaciter* *pervasit. Exinde *vivax* est & illa, quam dixi calumniam esse Medicis conflatam. At illi, *vivacissimæ licèt*, ceu sibilanti serpenti, suóque venefico halitu nos afflanti, caput exscindendum est; & ne resciso uno, HYDRÆ adinstar, renascantur alia, omnem illi

* Vivam illam meritò dixi, utpote quæ passim per ora Virorum cursitet, uti constat ex Epistolæ ad φιλιατρειν pag. 31.

occa-

occasionem amputabo, dum venenatam illam mendacémque, de Medicis infamationem, quorundam animis medullitùs inhærentem, imis de pectoribus revellam, ne Mortalium ullus, iisdem deinceps morsibus, idem nobis venenum inspiret. Quod negotium gnaviter si confecero; gratiam ex illo, *non minimam certè* omnes apud Literatos, sum initurus: Literariæ siquidem Reip. interest, redivivus serpens ille Python, qui tot Apollinis Nepotes commordet, ut trucidetur; Is quippe morsu suo trifido, ceu triplici telo, non Medicos unicè, sed tres PERSONAS transfodit; nam delatos cumprimis Æscula-

ſculapii Sacerdotes transverberat; Auditorem veritate privat, dum illius in aureis ſuum venenum tranſmittit; Delatorum porrò conſcientiam atrociter ſauciat.

Inſuper his, acriùs me commovet, quòd profanum non modò vulgus, ſuum illud, quod à Viris, vel *malè feriatis*, vel *malè doctis* accepit, in nos effundit virus; ſed &, quòd mendax illa qua miſerè laceramur contumelia, in tantum invaluerit, ut vel quaſdam *proborum & liberaliter eruditorum* menteis, dicámne *occupaverit*, an potiùs *occæcaverit*.

Illorum enim haud infimates, id probrum & dedecus coram in os, mihi ſingulatim

ac

ac ſæpius intuliſſe, nequaquam erubuerunt. Quoniam igitur, *Viri boni & Literarum docti*, eò credulitatis adducti ſunt, ſibi in animum ut induxerint, illam maledicti notam qua inurimur, non *calumniam*, ſed obtrectationem eſſe; eò animoſiùs in hancce Medicorum cauſſam deſcendo, eóque acriori mentis impetu, * veſtros animos ad illam

* Ignoſcite quæſo, huic animi mei impetui, quo abreptus, moras abrupi, *(eheu, plus ſatis jam longas, nullus enim à tot retrò ſeculis, gravem illam Medicis impoſitam injuriam, aut levavit aut revulſit)* ne diuturniore tolerantiâ, *σκώμμασι μαισωνικοῖς*, *Maſonicis* illis in Medicos *dicteriis* petulantiùs jactis, connivêre viderer. Me igitur, contumeliam repreſſiſſe decuit, ne ulterio-

converto. Tanta etenim, primævæ Medicorum formæ illata injuria; alta mente reposta manet, & me vindicem sollicitat & instigat, qui illam ulciscar. En igitur illius, *Viri omnium Ordinum longè Ampliss.* corã Vobis ultorem me sisto, & rem ipsam ut aggrediar, vel ab ipso exordio dicam, illorum esse, per quorum ora interiores hominum menteis invaderet: Aliàs enim non compressa, neque coërcita; uti temporibus priscis, sic & deinceps, de manu (ut ajunt) in manum; de seculo in seculum; de gente in gentem; de regno in regnum; de Rep. in Remp. de familiâ demum in familiam, atque sic porrò, in improborum atque procacium aureis inferretur, qui petulanti linguâ Medicos insectari non desinerent.

lud de nobis convitiũ volitat, tanti sui in nos cõvitii, aliquot saltem, vel *graveis* vel *speciosas*; non autem *illocabiles* atque *captiosas*, rationes dare, aliàs puri puti & pergraphici sycophantæ audient. Quales autem sint illorum à quibus tantopere veritas abhorret, præstigiæ atque captiones, sumus infrà perinde detecturi atque dissipaturi. Velim interea, ex mei juris redundantia, generosiùs cum ipsis agere, nec Medicorum jura, quibus hodie patrocinor, simplici rei, nusquam probatæ, nusquámve probandæ, tueri negatione. Istoc siquidem super argumento, cùm omnia sileant Annalium monumenta, nec ullibi Gentium

tium legere ſit, quonam vel *Plebiſcito*, vel *Senatusconſulto*, Medici fuerint Româ exterminati; quibúſve fuerint, vel *Populi juſsis*, vel *Patrum decretis*, Romam revocati, conſequens eſt, probrum illud quod in nos conjiciunt; vel *malignè & turpiter excogitarint*; vel *ſuſpiciosè & temerè ab aliis acceperint*.

Res dolosè fraudulentérque de nobis *excogitatas*, atque fictitias, ceu hominum cerebroſorum commenta atque chimæras, vel Anticyram relegamus; vel ad Incolas Lunæ exilio pellimus ſempiterno.

Illud autem probrum in nos collatum, ſi ab aliis acce-

pe-

perunt; vel *ſcienter atque crimi-noſè* tanquam *falſum probrum*; vel *inſcienter & inculpatè*, tanquam *hiſtoricum quid*, illud acceperunt.

Si *priori modo* id præſumſerint, eo ipſo nomine Sycophantia proditur; quam, ut pote διαβολικὴν, diris eſſe devovendam profitemur. Si *hiſtorico modo* illud hauſerint; vel ex *infidis & ſubleſtæ fidei Auctoribus* id hauſerunt; vel ex *fidiſſimis & locupletiſſimis Veterum monumentis* id ipſum eruerunt.

Si *priori pacto*, nullo in loco, nullóque in numero, Viris à cordatis id habendum eſt; quinimo, vel aniles inter fabellas, nulla ſpecie veri vel leviuſculè adumbratas; vel inter

ter ludibria Fauni, id ipſum reponendum eſt. Nolim igitur, in illis fabuloſitatum portentis elevandis immorari. Nullus quippe Veſtrûm eſt, qui ſeſe fabularum tricis implicari patiatur.

Scrutemur ergo, *Veterum fide dignorum* penetralia, & inquiramus ſeduli, num ex reconditioribus illorum monimentis, tale quid extrahi queat, undè anſam de Medicis contumelioſè atque mendaciter ſcriptitandi arripiant, ſexcentis illos annis fuiſſe Româ interdictos.

Id quippe ſi contigit unquam; vel *Catonis ante tempora*; vel *per illius ætatem*; vel *poſt illum denatum*, contigiſſe ne-

cessum est. Quid enim temporarium datur, præteritum, præsens & futurum ultra.

At nullis id unquam obtigisse temporibus, hisce rerum momentis luculenter evincam, & adversum maledicentiæ fluctus, vel insanos atque decumanos inconcussè stabiliam.

NAM 1°. quidem, Cassius Hemina testatum reliquit, primùm è Medicis venisse Romam Peloponneso, Archagathum, *anno V.C. quinto & trigesimo supra quingentesimum; eisque jus Quiritium datum, & tabernam in compito Acilio ob id publicitus

* L. Æmilio, & M. Livio Coss.

emptam

emptam fuiſſe. At CATO tunc temporis, pueritiam vix egreſſus erat, annum ſiquidem agebat quintum decimum; natus quippe eſt, Urbis anno vigeſimo ultra quingenteſimum.

E quibus profectò, luce hâc propemodum meridianâ clariùs patet, impoſſibile fuiſſe, Medicos ut Roma, *Catonem ante adultum & auctoritate pollentem, expulerit*; Romam etenim nondum venerant. Qui igitur Medici, Romæ fuerunt nunquam; *Româ fuerunt & iidem nunquam expulſi*; utpote quia, non Entis, non datur expulſio.

Quis nóſtrûm amabo, hoſpitem quempiam, quem nuſ-

quam admisit, suis ex ædibus extrudet & ejiciet? Quando enim ferunt, turpiùs ejici, quàm non admitti hospitem; *ejectionem*, *admissioni* opponunt. Falsò igitur Medici, dicuntur *Româ ejecti*, qui purè dicendi sunt, *Romæ non admissi*, seu potiùs *Romam non venisse*. En ergo primum; *de Medicis ante tempora Catonis, Româ nequaquam exturbatis*, negotium confectum. Excutiamus jam, num Catonis ejusdem, sed *creati Censoris* ævo, fuerint unquam *Româ exclusi*.

PARS SECUNDA.

QUamvis Juridicum foret, ut illam quam nobis

bis instruunt calumniam, ex Chronicis Authenticis calumniam non esse probarent, & Annalium omnium super illâ re silentium altum, victoriæ meis ab adversariis reportandæ, mihi sat esset; nihilominus, quia Lunam citiùs de sphærâ suâ deripient, reliquáve refixa cœlo sidera devocabunt, quàm illud probaverint; velim ego, ex Veritatis quam tueor prærogativâ, insequi pede presso secula *Catoniana*, atque *Catonianis* proxima, quibus Medici Romæ numerosissimi floruerunt. Istud dum exequar, illorum simul falsas *hypotheses* evertam; subindè verò, rerum serie ductus, solidissimísque fundamentis ja-

ctis, *Veritatem ipsam* firmiter ædificabo.

PRIMAM suam HYPOTHESIM è Plinio mutuantur, apud quem legere est, à Pop. Rom. Catonis temporibus Medicinam fuisse damnatam. Quibus Ædepol verbis nequaquam evincent, vel *Medicos fuisse Româ pulsos exilio*; vel illud exilium *annis sexcentis durasse*, uti scriptitant, quos tenet insanabile nos calumniandi cacoëthes.

Etenim, Plinius ubi dicit, *Populus Rom. Medicinam damnavit*, idem dicit, ac si, *improbavit*, dixisset. At Medicinam *improbare*, nequaquam est, *Medicos in exilium projicere*. Quid enim vel hoc in ipso

Belgio vulgatius eſt, quàm Medicorum aliquot praxim *damnare*, id eſt, *reprehendere* & *culpare*; vel ſi velitis ut preſſiùs dicam, ὑβρίζειν, περιπηλακίζειν καὶ παραδειγματίζειν, nullitamen, iidem illi Medici quorum traducitur damnatúrve praxis, ex Urbibus ejiciuntur.

Si quis mihi taliter interpreti fidem derogat, attendat quæſo ſedulus ad Orationis Plinianæ contextum, & ſolis adinſtar radiantes haſce quaternas veritates ſuo firmiter innixas cubo contemplabitur.

I°. quidem, per verbum *damnavit*, nihil aliud Plinium ſibi velle, quàm Populum

Rom. Artis illius quam damnaverat aliquo fuiſſe tædio affectum.

II°. per Medicinam, eò loci eſſe intelligendam unicè Chirurgicam partem.

III°. Chirurgiam non omnem, ſed illam duntaxat quæ crudelior eſt, fuiſſe damnatam.

IV°. demum, Medicos propterea fuiſſe nequaquam à Civitate *abactos*. Inibi quippe *abactûs* cauſa ſi qua foret capitalis, illa prorſus *ſingularis*, nec omnium Medicorum foret; ſiquidem agatur *ſingulariter* de Archagatho, qui *Vulnerarius* primùm audiebat, mox à ſævitiâ ſecandi urendíque *carnifex* vocitatus eſt.

Non

Non ergo *Medicos*, nec *Medicum*; nequidem *Chirurgum*; sed *Carnificem damnarunt*; nec interim *damnatum*, *Romanis pomœriis excedere jusserunt*.

Plinivs etenim apertè refert illius *Archagathi carnificinam* in tædium *artis transisse*, at nullibi adjecit ipsi fuisse Civitatem ademptam.

Et ne quis confingat Medicis palpum ut obtrudam Plinio me fucum facere, en Plinius acerrimum nostrum Patronum se gessit.

Quid inquit (seipsum compellans) *damnatam rem utilissimam credimus? Minimè Hercule*, respondet sibi continuò, *minimè Hercule, non rem Antiqui damnabant sed Artem*: Ar-

tem ſcilicet illam Archagathi ſæviorem, quæ ferro & igne humanos artus excruciabat atque truncabat. Imò præciſè magis loquens Plinius, litem noſtram omnem ceu peremptorio edicto dirimit: Hæc quippe aurea uncialibus literis Cedro conſignanda verba profert, *Et cùm Græcos Italiâ pellerent*, DIU ETIAM POST CATONEM EXCEPERUNT MEDICOS.

Sic Tranquillus in Octavio Cæſare, ab illis quos annonâ gravi conflictati Romani ex Civitate exegerunt, conceptis verbis, Plinii ſuffragator, MEDICOS EXCIPIT. Hæc enim immortalitate digniſſima verba, mentibus noſtris, ceu adamantino

mantino ſtylo ſignavit, *Magnâ verò quondam ſterilitate, ac difficili remedio, cùm venalitias & laniſtarum familias, peregrinóſque omnes*, EXCEPTIS MEDICIS &c. *urbe expuliſſet* Auguſtus &c. Quid quæſo aut magis appoſitè, aut magis accomodatè dici poteſt ut adverſarii noſtri cauſâ cadant? Nihil certè preſſius, nihil ſtringentius poteſt in medium adduci.

His tamen ad cauſæ noſtræ fidem & firmamentum, quæ ſcrupulum omnem, vel contumaciorum animis altiùs inhærentem eximere apta nata ſint, confirmationis ergò & auctarii vice ſum additurus.

En primùm quidem, in hoc

vehementer incumbam, Plinium eodem loci referre, *damnatâ illâ*, (& jure optimo damnãdâ) *Archagathi ſævitiâ*, *in tædium Artem*, OMNESQVE MEDICOS *tranſiſſe*. Romæ igitur complures erant Medici Archagatho coætanei, & per conſequentiam *non erant exilio mulctati*. Haud quippe reciprocantur, *in tædium tranſire* & *in exilium ejici*. Haud rurſus identitas eſt *Archagathum* inter, ejúſque ὁμοτέχνους, & *Pop.* ipſum *Rom.* Haud ultimò confundenda ſunt *Activa Paſſivis*; atque adeò Plinius ubi docet in tædium Populi Rom. artem Archagathi, *omnéſque Medicos tranſiſſe*; nihil aliud ſibi vult,

vult, quàm Archagathi, aliorúmque Medicorum Artem Populo Rom. tædium pepe-rifſe,tædium adduxiſſe: At nequaquam vel Plinius, vel Veterum ullus, paſſivè ſcripſit, Archagathum ipſum ejúſque *συνεργὸς*,*tædio*, tantum abeſt ut *exilio*, dixerit affectos fuiſſe. Non ergo fuerunt *Medici* ſeu potiùs *Chirurgi* illi, *in urendo atque ſecando duriores licèt*, in exilium projecti, ſed Romam Urbem ſuis in *Tabernis* incoluerunt. Jam quippe conſtat ex Caſſio Heminâ, Romæ *tabernam* in compito Acilio fuiſſe Archagatho publicitus emptam. Alias autem præter illam, Medicorum *tabernas* vel tunc temporis fuiſſe Romæ,

en

en authoritas duplex omni elevatione major, quam Vobis dari velim pro ſuperpondio; iiſdem quippe Catonis & Archagathi temporibus illis, Plautus atque Terentius, *Medicorum Romæ degentium* mentionem habent; ſpeciatim autem de Amphitruone & Epidico ſcripſit Plautus, ſuum illos *Naucratem* atque Periphanem quæritaſſe in MEDICINIS, id eſt in *Medicorum tabernis*, quas & à myropoliis & à tonſtrinis ibidem diſtinguit. At, quis inanes & Dominis vacuas illas fuiſſe quas perreptaverant Amphitruo & Epidicus *Medicorum tabernas* ſibi ſtultè fingat? Quin potiùs Plinio aſſentiri eſt, qui Plauto con-

concors MEDICINAS illas sive τὰ Ἰατρεῖα, *Officinas* vocat, in quibus *sua cuique Venalis promittitur vita.* Remedia quippe inibi à *Medicis Venalia*, vitam spondebant emptori; uti ediverso; & eodem loci deleteria vænibant pharmaca, quibus occæcata gens illa Pagana, ærumnosæ tædiosæque suæ vitæ filum abruptura, morti sese tradebat, teste Plautino istoc altero,

- - ibo ad Medicum, atque me ibi toxico, morti dabo.

Concludam igitur, illâ *Plauti*, *Terentii*, *Archagathi* atque *Catonis* ætate, *Medicos fuisse suis ex Medicinis nequaquam exturbatos*, siquidem illorum *Officinæ* frequentes

tes Romæ vel tunc temporis fuerint.

Ad alteram Hypothesin quod attinet, inituatitia est omnis ex inimicitiis quas Cato Censorius, authoritate florens, Græcis cum Medicis exercuit; è quibus, præoccupata mens eadem, duo isthęc falsa elicit quę modò confutabamus *de Medicis Româ exulibus*; idque *annos sexcentos*.

Quàm frivola & jejuna sit hypothesis illa, his rerum momentis liquidò constabit.

Catonem odisse Medicos diffitebor nunquam, ille etenim odio plusquam Vatiniano *Græcos omnes* prosequebatur, atque ideo *Medicos ipsos* qui maximam partem *Græci erant*.

Cur

Cur autem Græcos uſque oderit Cato, triplex eſt ratio; generica quidem una & altera; tertia demum ſingularis eſt.

Primò quidem infenſiſſimo ferebat animo, *Quirites* à Græcis non modò *Barbaros* vocitari, ſed & ſpurciùs quàm alios Italiæ populos, *Opicos* appellatione fœdari, quaſi præ reliquis Italis forent oris ſpurciſſimi & obſcœniſſimi.

Altera *ratio* eſt, Catonem ſolitum fuiſſe πᾶσαν ἑλληνικὴν μοῦσαν καὶ παιδείαν ὑπὸ φιλοτιμίας προπηλακίζειν, * Græcas

* *Ita profectò, uſque deſpicatum Iſocratem habuit Cato, illius ut Diſcipulos per jocum irriſerit. ſuum quaſi apud Magiſtellum Arte in Oratoriâ futiliter diſcendâ*

cendâ conseneſcerent indictáque causâ commorerentur, ſuos demum eloquentiæ ſontes coram Minoë, in Inferis apud Plutonem aperturi.

En & Catonis atrocior in Græcos injuria; etenim, eò inſolentiæ prorupit ut SOCRATEM *traduxerit, ceu Virum loquacem & garrulum, nec-non prætereа ferocem atque ſeditioſum, qui tyrannidis occupandæ causâ, & mores antiquos labefactaret everterétque; & ſacratiſſimas leges conculcaret.*

Reſipuit tamen bonus ille Vir, ætatis quippe flexu prudentior factus, Literas Græcas valdè ſenex & ætate omninò provectus didicit, atque in Thucydidem, ſed præſertim in Demoſthenem, totus incubuit: necnon etiam à reliquis reconditioris doctrinæ Græcis potiora ſua, cùm placita tum apophthegmata, ita expiſcatus eſt, ut illius in ſcriptis Literaturam cultiorem nihil ſapiat, quod

omnes Musas atque Græcam disciplinam omnem ambitiosiùs conviciari atque lacessere. Verebatur enim, ne Literis Græcis juveniles animi à belli studiis avocati, ad vanas artes traducerentur. Quo certè præjudicio mens ejus usque irretiebatur, ut οἷον ἀποθεσπίζων καὶ προμαντεύων, rerum quasi præscius atque pręsagus [*vatem enim se jactabat*] filio suo vaticinari non erubuerit, *Literis Græcis omnia* CORRU-

scriptoribus Græcis protinus non referas acceptum.

Atque sic profectò, honore mulctatus est CENSOR; quíque fuerat in Gręcos injuriosus, crimen illud suum tædiferâ quasi vel stigmaticâ pœnâ luit.

PTUM

PTUM * & PERDITUM *iri*; quod tamen illius vaticinium, rerum exitu fuit inane; nunquam enim Roma ad altius glorię culmen perrexit, quàm Græcas dum Literas excoluit.

* Hîc Plin. atque Plutarchum combinavi, prioris enim verbum CORRVMPERE, cum alterius verbo PERDERE composui & coagmentavi. Quæ etenim Plinius ſuper illa re ſentiebat, ſic elocutus eſt. QVANDOCVNQVE ISTA GENS SVAS LITERAS DABIT, OMNIA CORRVMPET. Plutarchus verò, eadē illa Plinianę mentis ſenſa ſic expreſſit, ΑΠΟΛΟΥΣΙ Ῥωμαῖοι τὰ πράγματα, γραμμάτων Ἑλληνικῶν ἀναπλησθέντες, Rem ſuam PERDENT & perimentRomani, Literas Græcas ubi vorabunt; vel Literis Græcis ubi affluent.

Tertia denique *ratio* Medicis unicè competit, atque itidem ex Catonis præſumptâ opinione ſumit originem; *Iurarunt inter ſe*, (ſuum de Medicis ſcribebat ad filiũ) *Barbaros necare omneis* MEDICINA: Ac proin cùm Barbarus eſſet, ſibi maximopere cavebat à Medicis, ne pro ſalutari Medicinâ venenum ipſi propinarent.

In illum porrò, tanta de Medicis támque criminoſa ſuſpicio ceciderat, propterea quòd ſuam olim operam Regi Artaxerxi tanquam Barbaro denegaverat Hippocrates; quâ ex hiſtoriâ ſuſpicioſè atque mendaciter inferebat Cato; κοινὸν ὅρκον εἶναι τοῦτον, Ἰατρῶν ἁπάντων, commune juramentum

tum esse hoc inter Medicos omneis, *nullis Barbaris ut inservirent.*

Quamvis autem Cato fuerit odio in Medicos hostili, illud tamen ita compressit atque privatos intra parietes ita coërcuit, ut publicum in actum eruperit nunquam: *Filio* quidem *suo interdixit de Medicis*, τῷ παιδὶ παρεκελεύετο φυλάττεσθαι πάντας, ne scilicet ab ipsis veneficio perimeretur: At apud Senatum tantâ nunquam valuit authoritate, ut illo suasore & impulsore *fuerint Medici Româ proscripti.*

Is quippe non rexit Italiæ fata, nec ab ejus Censurâ sors Medicorum pependit. Ipse etenim, neque Regem neque

Tyran-

Tyrannum ſe geſſit. Imò, nuſquam legere eſt de Medicis in Senatu Catonem eſſe conqueſtum, uti ſuas de Carneade Academico & Diogene Stoico (*quas ſileo, ne meis à Caſtris Medicis deficiens, in aliena fiam transfuga, & in illis incendiarius*) querimonias in Senatum jactavit.

Hunc porrò mearum probationum numerum explebo, dum *compendio*, ſed *fideliter* referam ex Cicerone, Horatio, Senecâ, Perſio, Juvenali, Martiali, Plinio, Suetonio, Plutarcho atq; Galeno; veterrimis illis Catonis & Catoni proximis ætatibus, illuſtres Romæ Medicos immortalitati ſua nomina conſecraſſe. Iſtæc certè

dum

dum exequar, meam de Medicis Romæ Archagatho & Catoni coævis, non duntaxat firmabo ſententiam, ſed & ultimum illud meum negotium conficiam, *nec à Catone denato, Româ Medicos exturres profugiſſe.*

PARS TERTIA.

EN primùm libro quarto decimo, Plinii locus de *Eraſiſtrato*, cujus ut maximi Medici auctoritas, anno circiter ſexcenteſimo, *id eſt Catonis ævo*, Romæ vigebat: de quo tamen Eraſiſtrati tempore, nolim cum ullo contentionis ſerram reciprocaſſe.

En & vetuſtiſſimus ille *Herophilus*

rophilus Medicinâ clarus, qui Empiricos primùm damnavit, & ſubtilioris ſectæ conditor, morborum cauſas ſcrutari inſtituit, atque arteriarum pulſus qui gubernacula vitæ temperant, in modulos certos legéſque metricas deſcripſit.

En & Medicos nobiles Julii Cæſaris ætate quæ Catonianam proximè excepit: Uti etenim ſeptimi ab V. C. ſeculi initium, Cenſorii noſtri fuit occaſus; ita fuit & medium ejuſdem, Julii ſideris exortus. *

* *Catoniana* etenim vitæ extrema clauſula in annum ab V. C. 605. incidit; Annus verò ab ejuſdem Urbis conditu 653. *Iulii Cæſaris* Natalibus inſignitus eſt.

Ecce igitur Julius Cæſar, qui dum circa Pharmacuſam Inſulam à prædonibus captus eſt, manſit apud eos, propè quadraginta dies, *cum uno Medico*, CVM UNO MEDICO; qui fortè Medicus, *Antiſtius* eſt ille, qui principis ſui tribus & viginti plagis in Senatu confoſſi cadaver perluſtravit.

Ecce & *Aſclepiades*, Magni Pompeii familiaris, cujus fama tanta fuit, ut ad Mithridatis pervenerit aures. Hic quippe Româ, ſuis Legatis & pollicitationibus Aſclepiadem evocare tentat, ſed fruſtra: nam Aſclepiades novam Romæ condiderat ſectam, & menteis artificio eouſque mirabili trahebat, ut univerſũ propè humanum

manum genus circumegerit in ſe; non alio modo, quàm ſi cœlo emiſſus adveniſſet.

Aſclepiadis auditor fuit *Themiſon* ille, τ̃ κοινοτήτων repertor qui ab Aſclepiade Rationali inſtitutus, ad Methodicæ ſectæ inventionem ſe contulit; & quæ inter initia ſcripſerat Aſclepiades, illo mox recedente à vitâ, ad ſua placita mutavit.

Mitto plurima æqualis Julio Cæſari *Tullii* loca, ubi Medicorum honorificè meminit; ſingulatim autem, *Aſclepiadis* illius quem modò extuli, & *quo amico Medicóque uſus eſt*, eloquentiam celebrat. Nominatim inſuper profitetur ſe aſſentiri *Cratero*, illius quaſi in

verba juraſſet ; unà cum Venuſino Poëtâ, cui Crateri teſtimonium ita locuples eſt, ut Pythagoricum illud habeat,

Non eſt cardiacus, CRATERUM
DIXISSE PUTATO,
Hic æger.

Multos prætereo Medicos celebres, *Caſsios*, *Calpitanos*, *Aruntios*, *Albutios* & *Rubrios*, ut tranſeam ad Auguſti tempora, quibus alios inter,

- - *velut inter ignes*
Luna minores,

emicuit *Antonius* ille *Muſa*, qui propterea quòd ex gravi morbo Auguſtum exemerat, ingentem 1°. pecuniæ vim, magnos deinde à ſenatu honores; & univerſo demum ordini Medicorum immunitatem

tem vacationémque adeptus eſt. *Statuam ei præterea Romani, juxta ſignum Æſculapii, ex ære collato ſtatuerunt.*

Mitto viritim collaudare *C. Celſum*, *Scribonium Largum*, *Arcyona* & *Chariclem*; qui eodem illo Auguſti, nec-non Tiberii atque Caligulæ Dominatu floruerunt.

Sileo *Vectium Valentem*, *Xenophontem*, & *Alcontem* ſub Claudio Cæſare.

Taceo Neronis principatu cùm *Statium Annæum* Senecę familiarem; tum imprimis ipſius Imperatoris Archiatrum, *Seniorem* ſcilicet *Andromachum*, noſtræ theriaces excogitatorem. *Theſſalum* denique tranſeo, qui cuncta Ma-

jorum placita delevit, & monumento ſuo IATRONICEN * ſe inſcripſit; ut ponam in medio *Crinam* illum Maſſilienſem, qui ex Ephemeride Mathematicâ ægros curando, Theſſalum authoritate præceſſit.

Nec prætermittendus eſt *Charmis*, qui ex eadem Maſſiliâ Civitatem invaſit, merſit

* Id eſt *Medicorum Victorem*; is enim, cùm in aliorum dogmata acerbiùs invectus eſſet, atque in omnis ævi Medicos rabie quâdam peroraſſet, lætus ſibi plaudebat *Medicos omneis quaſi viciſſet*; quo certè alto faſtu turgidus, ſeſe adeò ſuperbum præbuit, ut *faſtoſam* illam, ſed *mendacem* monumenti ſui quod eſt in Appiâ viâ, inſcriptionem ambiverit, ΙΑΤΡΟΝΙΚΗΣ.

ægros in lacus , frigidáque etiam algoribus hybernis lavari persuasit.

Demum, ut contraham, *illaudati* sed nequaquam *innominati* recedent, *Tryphon*, *Meges*, *Ammonius*, *Euelpistus*, *Archigenes*; *Ruffus* & *Soranus*, uterq; Ephesii; *Crito*, *Hermogenes*, *Andromachus Iunior*, *Symmachus* & *Hermocrates*, quorum alii sub primis Cæsaribus vixerunt; alii verò sub Galbâ; Othone, Vitellio, Vespasiano, Tito, Domitiano, Nervâ, Trajano & Adriano sese posteritati commendarunt.

Haud finirem, si Antonini Imperii memorabilia proferrem; tunc quippe temporis, *Galenus* trium deinceps Im-

peratorum Archiatros, tot Romæ mira loquutus eſt, tótque miranda fecit, ut illius æmuli, ceu incantatorem & vatem γοήτα τε καὶ μάντιν illum traduxerint.

Silebo itidem, innumeros illos Romæ *Galeni æmulos* quos paſſim commemorat. De illis etenim, quæ digna habentur memoriâ, in hiſtoriam conferre ſi vellem, dies me citiùs deficeret, quàm illos collaudando finem dicendi facerem.

Hîc igitur modus eſto, ne longiùs excurrat Oratio, aliàs enim foret prolixitate, tædioſa. Nolim ergo ætates ullas infra Galenicam illam, quæ in

 decimum

decimum * *ab V. C seculum* incidit, attingere.

Abundè est enim tot isthæc secula replicasse, quibus præclari Romæ Viri Medicinam fecerunt , nullâ temporis intercapedine mediâ quæ Viris

* Profitetur enim Galenus, se, Romam venisse primùm, ætatis anno 34. At annus ille Galenicus, æræ Christianæ 164 erat, & per consequentiam *initium fuit decimi ab V. C. seculi.*

Æra siquidem Christiana ab Urbis conditæ anno 752, uti vulgò ferunt computatur. Illis autem si addideris annos Christi 164. quibus Galenus Romam primùm se contulit, consequens erit, Galenum Romæ primùm vixisse anno ab V. C. 916. hoc est, *ineunte seculo ab V. C. decimo.*

illis Arte Medicâ illustribus caruerit.

Falsissimum est ergo *Medicos unquam exulasse Româ*; & ab omni insuper alienissimum est veritate, fictitium & chimæricum istud exilium, *sexcentesimum in annum fuisse prolatum.*

PARS QUARTA.

Ecce itaque nostros calumniatores confutatos atque pessundatos: sed antequam, (*absit jactantia dicto*,) triumphans recedam, pressiùs illos stringam, dum illorum in nos iniquitatis mysterium revelabo, atque sic Medicos ab illâ, quâ nos injuriâ circunretire nitun-

nituntur, pleniùs asseram.

Proferam igitur ex Plinio, verborum aucupia & literarum tendiculas, quibus specie veri, incautos & illudere, & illaqueare satagunt, *Romanum* scilicet *Populum*, *ultra sexcentesimum annum sine Medicis degisse*. E quibus verbis malignè lectis & dolosè conglutinatis, cum illis aliis, fraudulenter itidem & captiosè expositis, *de Medicinâ damnatâ*, per sophisma *à conjunctione distrahendorum*, illud temerè seu potiùs veteratoriè eliciunt, *Medicos fuisse sexcentis annis Româ prohibitos*; perperam copulando disjungenda; & malitiosè atque calumniosè isthæc distrahendo & in-

interpretando ; dum illa in alieniſſimum à vero ſenſum, iniquiſſimè detorquent.

De Medicinâ damnatâ egimus abundanter, atque verbi damnare, hoc in caſu, vim omnem & genuinum ſenſum diximus eſſe, *culpare*; haudquaquam autem, *in exilium agere*. Quibus profectò, auctarii vice, ſum & hoc additurus, Plinium nullatenus ſcripſiſſe, *Medicos Romæ fuiſſe damnatos*; ſed præciſè & apertè dixit, *Populus Rom. Medicinam damnavit*, id eſt, *culpavit* crudeliorem illam Chirurgiam, quæ aſperiùs & immitiùs ſæviebat in ſauciatos. Sic certè purioris Latinitatis antiquiſſimi cultores, & Tullius ipſe, eodem ſenſu dixerunt

xerunt *damnare moras*, *damnare tempora*, *damnare Naturam*, id eſt, improbare, arguere & reprehendere: Nullus enim, quem ſciam, eò veſaniæ deductus eſt, ut *moras*, ut *tempora*, ut *rerum* denique *Naturam ipſam*, è mundo in *exilium depelli* ſecum reputaverit. Quid igitur, ineruditè & falſò nobis obtrudunt Sycophantæ noſtri, *Medicinam damnatam*, *Medicos in exilium datos* importare?

Nec iſtud alterum magis moror quod ex Plinio eruunt, quo imaginarii illius exilii ſexcentos annos colligāt. Plinius quippe nequaquam dicit, *ſexcentis annis Româ Medicinam exulaſſe*, ſed ſimpliciter & nudè

dè *Romanum Populum*, *ultra sexcentesimum annum*, sine *Medicis degisse*. Quibus sanè Plinianis verbis, argutulus licèt atque veteratorius vitilitigator ex adverso mihi staret; nunquam tamen mihi probaret idem efficientes esse enunciationes illas, *Populum sine Medicis degere*; & *Medicos à Populo in exilium projici*.

Quæ sanè Plinii verba cùm ex se perspicua sint, atque apud eruditos cordatósque Viros * aliter prorsus quàm

* Sic v. g. apud Cardanum in illius ad Cardinalem Alciatum oratione, Plinianis multùm affinia hæc verba legere est, *Romani, annis à condita urbe propè sexcentis, à Medicis* ABSTINVERVNT; quibus in propatulo

qui-

quidem eſt, Cardanum Plinii ductu in erroneam illam *de Româ, tot ſeculis, ſine Medicis degente*, opinionem deſcendiſſe; at nequaquam opinatum eſſe, *in Medicos unquam exilium fuiſſe ſtatutum.* *Illud* quippe Cardanus in Medicinæ encomio, Oper. tom. VI. *liberum idem* ſed *cæcum* rurſus, de Medicis fert Plinio ſuffragium; inibi ſiquidem, hoſtibus noſtris, Populum Roman. tot ſeculis VITASSE MEDICOS iterum concedit. Quem certè ob aſſenſum ſuum non modò culpandus venit Cardanus, ſed & eo præſertim nomine notandus eſt, quòd Pliniana verba Medicis haud probroſa, in contumeliam verterit. τὸ etenim Plinii, *ſine Medicis degere*, Medicos minimè dedecorat: At Cardani effatum illud, *à Medicis abſtinuerunt*; uti & alterum iſtud, *Medicos vitarunt*, Medicis ex æquo ignominioſa ſunt. Iſthæc enim utriusque Viri verborum pondera, dum non vulgari quapiam

piam ſed aurificis ſtaterâ examino, haud æquilibra eſſe protinus comperio. Plinii quippe dictum nihil inſinuat, quàm Romanos *Medicis caruiſſe*, illos ſive noverint & expetiverint; ſive nec noverint nec expetiverint, ídque citra conſilium ullum à Popul. initum, quo datâ operâ & ex profeſſo *ſine Medicis degere* deliberaverint. Verùm, ex Cardanicâ Plinianorum verborum permutatione, cuilibet ἀκριβολογοῦντι, & utriuſque Viri propoſitiones ad veritatem exigenti, ſtatim in mentem influit, Romanos conſilio quodam & velut ex condicto *à Medicis ſeſe continuiſſe*. Quid enim quæſumus, iſtæc Cardanica verba, *abſtinuerunt à Medicis* & *Medicos vitarunt*, aliud ſonant? Inſinuãt enim, fuiſſe Romanis vel quoddam propoſitũ, quo ſeſe continuerint à Medicis; vel quoddam decretum, quo MEDICOS *vitarint*. Verbi enim *Abſtinêre*, uti & alterius iſtius VITARE, vis omnis nihil

hil aliud ſibi vult, nec aliò poteſt detorqueri. Exemplorum quæ hanc meam ſententiam confirment, quæque multiplicia forent, appoſitione, brevitatis causâ ſuperſedeo. Dixerim unicè, Cardanicum efſatum vel eo argumento falſitatis argui, quòd Plinius ipſe teſtetur *Populum Rom. Medicinam avidè expetiviſſe*. Qui igitur Popul. *Medicinæ fuit avidus*, ille profectò animum ſuum à Medicis nequaquam cohibuit, & per conſequentiam, nec ab ipſis ex animi ſui ſententiâ ABSTINVIT, nec ipſos ullo unquam ſtudio VITAVIT. Accedit & hocce Plinianum alterum, Romanos ideo *ſine Medicis degiſſe*, quia Medicorum è Græcis (*quibus unicè Medicinam acceptam refert Plinius*) nullus, Romanis ſeſe obtulerat. At ubi primùm Romam profecti ſunt, tantùm abeſt ut ullam unquam à Romanis fuerint repulſam paſſi, ut ediverſo Medici illius qui è Græciâ Romam

apud

apud conviciatores noſtros audiant, in illis exponendis nullus ero; Verùm, *ſed brevibus duntaxat, ut brevi, huicce Medicorum cauſæ finem faciam*, in illius ætatis tam longæ quâ ſine Medicis Roma degit, genuinas & ſonticas cauſas inquiram.

I°. quidem ex dictis hactenus luculenter patet, me non

primùm venit, *adventum* MIRE GRATVM *fuiſſe*, conſultis verbis ceu perhonorifico quodam Medicis edicto Plinius ſanciat.

Fruſtra igitur Cardanus, medium inter me hoſtéſque meos ferit; Plinii quidem verba in *Medicorum exilium*, revera *hoſtiliter* non deflexit; ſed nec *amicè*, atque ut Virum egregiè doctum decuiſſet, interpretatus eſt.

uſque

usquequaque Plinio assentiri, *ultra sexcentesimum annum, Medicorum absentiam proroganti*; Modò quippe evicimus, *ineunte seculo sexto ab V. C. Græcos Medicos Romam venisse*, ac proin diffitemur, strictè loquentes, nec seculum *inchoatum duntaxat* vel etiam affectum pro confecto atque completo sumentes, *ultra sexcentesimum annum, sine Medicis Romanos degisse*; tantùm abest enim, ut *ultra sexcentesimum annum*, tempus illud protollatur, ut anni desint *sexaginta quinq; ad sexcentos complendos.*

Deinde, auctoritatibus si lis est dirimenda, *uti profectò dirimenda est*, *cùm sit quæstio facti*; Plinius etsi Hercules fo-

rer,

ret, non *ſtaret* contra duos: En igitur illum *cauſâ cadentem*, nam præter allatum Caſſium Heminam, qui Plinii teſtimonium infringit; en & Dionyſius Halicarnaſſeus, qui luculentam nobis fidem facit, vel *ipſo ſeculo ab V.C. ineunte quarto* * *complures Romæ Medicos* extitiſſe; ſed qui gravi peſtilentia *numeroſis* Civibus afflictis, *impares* fuerint, ad tot illis decumbentibus ſuppetias

* Anno nimirum CCCI, Λοιμικὴ νόσος εἰς τὴν Ῥώμην κατέσκηψε &c. οὔτε τῶν ἸΑΤΡΩΝ ἀρκούντων ἔτι βοηθεῖν τοῖς καμάτοις &c. Peſtilens morbus Romã invaſit &c. nec MEDICIS in tantâ ægrotantium multitudine ſufficientibus &c. *Dion. Halic.* l. X.

ferendas. *Non erant ergo Medici Româ exules, extorrésque.* Mitto & sequenti seculo, Catonem ante natum annis *quinquaginta octo*, * *Æsculapium* fuisse decem Legatis, Epidauro Romam convectum, statímque in Insulâ Tiberinâ Templum atque Flaminem accepisse; id quippe argumen-

* Cato quippe natus est, Urbis conditæ anno D X X. Quum autem Anno CCCCLXI, immedicabili peste devastaretur Civitas, aditis fatis Sibyllinis, Æsculapium Epidauro, decem Legatis, principe legationis Q. Ogulnio Gallo, arcessiverunt, & anno sequenti CCCCLXII Romam illum advexerunt.

Igitur, inter *Catonem natum*, & *Æsculapium Romam transvectum* anni LVIII effluxerunt.

ti evincit unicè, Populũ Romanũ *Medicinam* priſcis temporibus religioſè coluiſſe, at invalidum eſt, *Medicos ut ſtabiliat ſuam Artem Romæ factitantes.* Iſtæc igitur miſſa facio, ut coronidis loco breviter aperiam, cur *ſeculis propemodum tribus*, * non verò *ultra*

* Dionyſius quippe Halicarnaſſenſis, locuples nobis modò fuit teſtis, plures *Romæ Medicos, vel anno V.C.* 301. Medicinam feciſſe At nullibi recèns illos Romam veniſſe profitetur; concludere fas eſt ergo, *Romæ illos, vel ſeculo tertio degiſſe.*

Imò rationi penitus conſonum eſt, *Romam ab omni ævo Medicis nequaquam caruiſſe*: Quamvis enim primitus tales nuſquam audierint, quales nunc Noſtrates audiunt, ſed *Empirici* duntaxat *Medicaſtri* fuerint, nihiloſecius

Medi-

Medicorum nomine veniebant.

Iſtoc autem honoris epitheto, illos ſi modò non dedignemur inſignire, qui *Medicinam* licèt non profiteantur, illius tamen miniſteria, *prout ſorte cadit*, varia atque varia ſubeunt, tot profectò primævis ętatibus illis nuncupandi *venient Medici*, quot primitùs erant, qui, vel ſibi vel amicis laborantibus *Medico ſubſidio veniebant*, qualescunque demum fuerint illi, vel Summates vel Infimates, uti patet exemplo cùm Porcii Catonis, quem *Empirices* ſatagentem mox poſiturus ſum in medio; tum aliorum promiſcuè obviorum, qui *levi Medicinâ, levi morbo medebantur*, atque propterea *Medici* à *Medendo* vocitabantur.

Quid plura? En exemplum omni exceptione majus, *Androclus* quippe, propter ſtirpem ingentem, Leonis Afri veſtigio pedis hærentem, revulſum, conceptámque ſaniem vulnere intimo expreſſam; accuratiúſque ſiccato

cato penitus atque deterſo cruore, *Medicus Leonis* Romæ famigeratus eſt: Dum etenim Androclus, Leonem illum ſibi ſuffragiis Populi donatum, loro tenui revinctum, urbe totâ circum tabernas duceret, omnes ferè ubique obvii complaudentes dicebant, *hic eſt homo* MEDICVS *Leonis.* Pergam porrò dicere, hanc meam ſententiam ratione non duntaxat ſuffultam eſſe, ſed & Plinii auctoritate ſtatuminatam: Is quippe datâ quaſi operâ, eodem loci, ubi nobis adverſari videtur, pręciſè docet *Gentes nullas ſine* MEDICINA *degere.* Nec ergo Populus Rom. ſine MEDICINA, atque adeò, nec ſine MEDICIS (*talibus ſcilicet, quales modò adducebam Empiricos,*) degit. MEDICINAM enim haud in *Abſtracto*, ſed in *Concreto*, ut loquuntur ſcholæ, contemplari eſt. At ſi in concreto, ergo homines erant qui Medicinam illam qualemcunque, è re natâ, & pro captu ſuo, revocarent

ad

sexcentesimum annum, Romanus Populus sine Medicis degerit.

Et 1°. quidem vetustiores illas ætates cuivis recolenti obvium fit, longioris fuisse opus temporis usurâ, ut popellus ille rudis recénsq; mœnibus conclusus, disciplinas

ad praxim Quod quum sit undiquaque verum, consequens est, *ab ipso Urbis conditu, Medicis Romam affluxisse.*

Si quis tamen contumax atque refractarius ἰδιογνώμων hancce meam ad sententiam nolit perduci, sed præsumptę opinioni pertinax inhęrescat, ad triplicem, quam super illâ re rationem mox in contextu sum daturus, ipsum ablegabo, nec dicam ipsi grandem impingam, meliora modò suo pectore excutiat, quibus meam mentem avidam discendi expleat & exsatiet.

amplexaretur. Quam ergo Civitate suâ nondum donaverant Medicinam, illam profectò *Civitate suâ non expulerunt.*

Est & altera perinde ponderosa ratio, is quippe populus nihil fuit primiter, quàm decoctorum, latronum, & erronum *militiæ singulariter addictum* agmen, quod Romulus suo ex luco vicino quem asylum fecit, non tam in *Civitatem* quàm in *Urbem* coëgerat. Illis igitur seculis, non unica Medicina sed & reliquæ Disciplinæ Liberales, Populum inter, belli quidem studiis ferocem; sed in Minervæ castris vecordem, incultę jacuerunt, uti Cicero atque Suetonius

nius,* ſuper eâ re conqueruntur.

* Tullius enim Tuſcul. quæſt. 1. his verbis Poetices ſortem queritur. *Seriùs Poeticam nos accepimus: annis enim ferè* CCCCX *poſt Romam conditam Livius fabulam dedit, C. Claudio, Cæci filio. M. Tuditano, Conſulibus, anno ante natum Ennium: qui fuit major natu, quàm Plautus & Nævius Serò igitur à noſtris poetæ, vel cogniti, vel recepti.*

Lenta autem ut ita loquar, *Philoſophiæ* fata, ibidem ſic luget, *Philoſophia jacuit uſque ad hanc ætatem, nec* VLLVM *habuit* LVMEN *Literarum Latinarum &c.*

Ita profectò, *Grammatices*, vel in ipſo libri ſui de Illuſtribus Grammaticis limine, vices, hiſce querimoniis Tranquillus dolet.

Grammatica olim Romæ, ne in uſu quidem, nedum in honore ullo erat; rudi *ſcilicet ac bellicoſâ etiam tum Civitate,*

necdum magnopere liberalibus disciplinis vacante

Quam autem, diuturnæ illius Literarum inter Romanos ignorantiæ, rationem adhibet Tranquillus, illam profectò, hacce genericâ, à Tullii BRVTO mutuatâ, fulcire lubet, *Nec enim, in constituentibus Remp.* NEC IN BELLA GERENTIBVS, *nec in impeditis, ac Regum dominatione devinctis, nasci cupiditas discendi solet.*

Quod præterea Tullius, singulariter de Eloquentia ibidem subjungit, id universè de Medicinâ, déque omni Disciplinâ Liberali, jure meritóque dixerim.

Pacis est comes, otiique socia & jam benè constitutæ Civitatis quasi alumna quædam, Eloquentia.

Nihil igitur de Medicorum honore decederet, illorum Artem, bellatrix Romana gens seriùs etsi fuisset amplexata.

Deni-

Denique, cui Veſtrûm, Auditores Ampliſſimi, in propatulo non eſt, vilem illam & aſperam hominum ſortem, *laboribus duram* & *Mavorte ferream*; quæque cibo utebatur facili, nec per Artem voluptatémque corrupto; ſed qui niſi eſurientibus placêre non poterat; *ſine Medicis minùs damnoſè degere*, quàm molles & effœminatos, qui umbratilem vitam agunt, & luxu diffluunt; qui Curios ſimulant & Bacchanalia vivunt; ἄσκησις γὰρ ὑγιῆς, ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων, *Sanitatis quippe ſtudium eſt, non repleri cibis, & impigrum eſſe ad laborem.*

Ubi igitur, inter illum bel-

latorem Populum, nondum fuit diætæ tanta inæqualitas, tanta immoderatio, quanta subinde crevit; nec tanta fuit morborum luxuries. At crescente luxu, creverunt & morbi, supplicia luxuriæ.

Immunes erant ab istis malis, qui nondum se deliciis solverant; qui sibi temperabant, sibi ministrabant: Ipsis quippe simplex erat, ex simplici causâ valetudo.

At multos morbos, multa fercula fecerunt. Ex quo scilicet una gula; terrarum marísque vastatrix, varia permiscuit, & mille condituras excogitavit, non ad tollendam sed ad irritandam famem; necesse fuit ut ex illis inter se dissi-

diſſidentibus, inconſtans variúſque morbus exoriretur, uti reapſe exortus eſt.

DUM igitur nequitia nondum ſurrexerat in tantum, nec tam latè ſe ſparſerat, poterant Romanorum *vitiis ſimplicibus* obſtare *remedia ſimplicia*. At ſubinde neceſſum fuit, tantò operoſiora eſſent corporum munimenta, quantò valentiora quibus petebãtur.

Quæ igitur Medicina, ab initio paucarum fuit Romanis ſcientia herbarum, quibus ſiſteretur ſanguis & vulnera coirent, illa certè eorumdem luxu, in hanc pervenit tam multiplicem varietatem, quæ ipſos coëgit, artifices illos conquirere longè

peritiores quàm antea, quique corporibus medendis unicè vacarent.

Primitus quippe ſibi ipſi Medicinam faciebant, atque amicos inſuper morbis conflictatos curabant: uti & poſterioribus ſeculis *Cenſorius Cato*, *Empiricen fecit*; gloriabatur enim eſſe commentarium ſibi, quo mederetur conjugi, filio, ſervis & familiaribus. *

* Rectè Plutarchus Thraſonicam illam Catonis gloriam jactantiámque taxat, καὶ γὰρ περὶ τοῦτο φαίνεται γεγονὼς ὁ Κάτων οὐκ ἀνεμέσητος. Suos etenim uſque ad longam ſenectam minimè perduxit, nam uxorem & filium amiſit, τὴν γυναῖκα καὶ τὸν υἱὸν ἀπέβαλεν. Nec mirum! Quis Ro-

Romanus ergo Populus morbis pressus, Medicam Artem expetivit, & expetitâ ut potiretur, Medicos non dun-

enim, *uno collyrio morbis omnibus mederi potis esset?* Licèt igitur pollicitis atque jactatione divitem sese extulerit Cato; *re* tamen & *effectis vacuus*, acriter notandus jacuit. *Se* quidem morbis immunem conservavit; sed id Plutarchus rusticum in illius primigenium corporis robur, potiùs quàm in Artis Medicæ peritiam ullam, appositè refundit: Adeò siquidem vivax atque salax extitit Cato, ut Senex licèt, Veneri tamen litare nequaquam desierit: gremio etenim suo meretriculam fovit, quæ compressûs ergò, furtim ad ipsum itabat. Væ. Indignum facinus tam acerbo morum Censore, ἐχρῆτο γὰρ παιδίσκῃ, κρύφα φοιτώσῃ πρὸς αὐτόν.

taxat

taxat Indigenas enutrivit; ſed & Advenas Græcos & Ægyptios admiſit; & admiſſos, tantùm abeſt, *ſuâ ex ſocietate ut exterminaverit unquam*, ut ecõtrario honorificè ſemper conſervaverit; munificentiſſimis pręmiis donaverit; tergeminis honoribus ſuſtulerit; & ſupremis denique laudibus fuerit proſecutus.

EPILOGUS.

ECce igitur longè propulſatam à nobis *jejunam* illàm, ſed *acerbam calumniam*, in illorum cerebro natam, qui vel *Samiorum* vel *Abydenorum mores induerunt*, & ſolitâ ſuâ omnibus detrahendi libidine;

nobis

nobis & hunc *aculeum genuinúmque dentem* infixerunt, ſed quem exemimus. Nunc quippe liquet, *falſum eſſe probrum*, quod criminoſè in nos immittitur, ſed quod deinceps *ad ſapientum aures* non perveniet; *Morſum eſſe aſpidis*, ſed cui medelam fecimus; *Hyſtricis eſſe ſetam*, ſed quam ex corpore noſtro extraximus: Uno verbo, *Hipponacteum eſſe de nobis præconium*, à Noctis & Erebi filiâ in nos excogitatum jactatúmque, ſed quod Stygiis aquis uti dignum eſt unicè, ita & à nobis, ex hominum mentibus ad Inferos relegatum eſt.

Habita in Illuſtriſsimo Lugdunenſi-Batavorum Athenæo, Nonis Iuliis 1671.

FINIS.

taxat Indigenas enutrivit; ſed & Advenas Græcos & Ægyptios admiſit; & admiſſos, tantùm abeſt, *ſuâ ex ſocietate ut exterminaverit unquam*, ut ecõtrario honorificè ſemper conſervaverit; munificentiſſimis prȩmiis donaverit; tergeminis honoribus ſuſtulerit; & ſupremis denique laudibus fuerit proſecutus.

EPILOGUS.

ECce igitur longè propulſatam à nobis *jejunam* illàm, ſed *acerbam calumniam*, in illorum cerebro natam, qui vel *Samiorum* vel *Abydenorum mores induerunt*, & ſolitâ ſuâ omnibus detrahendi libidine; nobis

nobis & hunc *aculeum genuinúmque dentem* infixerunt, sed quem exemimus. Nunc quippe liquet, *falsum esse probrum*, quod criminosè in nos immittitur, sed quod deinceps *ad sapientum aures* non perveniet; *Morsum esse aspidis*, sed cui medelam fecimus; *Hystricis esse setam*, sed quam ex corpore nostro extraximus: Uno verbo, *Hipponacteum esse de nobis præconium*, à Noctis & Erebi filiâ in nos excogitatum jactatúmque, sed quod Stygiis aquis uti dignum est unicè, ita & à nobis, ex hominum mentibus ad Inferos relegatum est.

Habita in Illustrissimo Lugdunensi-Batavorum Athenæo, Nonis Iuliis 1671.

FINIS.

ERRATA.

Lege pag.
- 13. l. 20. Ne *verò*,
- 22. l. 21. præpositu*m*iri;
- 23. l. 1 . *dele* illos.
- 38. l. 4. Medicorum *est*,
- 49. l. 16. annis 600, fuisse illis Româ interdict*um*.
- 55. l. 12. *Plin.* taliter interpre*tanti*,
- 59. l. ult. *Et* 1[im].
- l. 65. 10. Opico*rum*.